Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Aprilis habet dies xxx. L xxviii. Prefatio In Aprilem.

HACTENUS. Pater egregie et pontifex summe sanctorum peragendo opuscula patrum. tum precedentium librorum breviter compta congerie. restat ut sanctis pro nobis de quibus sermo agitur interpellantibus. vestrisque prebentibus meritis. ad quarti initium veniamus. Idque lectorem cernui imploramus. ut dum sulcando cuncta rimatus fuerit. que sunt catholica et probata retineat. que autem minus idonea. resecet et abradat. sciens nos nostro sensu nulla excogitasse aliqua. quin potius ex patrum libris excerpta. nostre agglutinasse paginule. Quod si contigerit vigilanter agat. ne sanctorum arrepta temeritate scripta dilanians. nostra timens curtat.

G K(al.) aprilis. Vita sanctorum Florentii. Eugenii. et Vindemialis. episcoporum.

CUM universalis synodus apud Kartaginem ab honorio rege congregaretur ex omnibus regnis atque insulis que sub eius regimine tunc temporis degebant. die kalendarum febr. sexcenti septuaginta episcopi in unum sunt congregati. pariter pro fide sancte et individue trinitatis certaturi. et ipse deceptus arrianorum perfidia omnes exilio dampnari iussit. Inter quibus kartaginensis episcopus Eugenius. et vindemialis summe scientie summeque sanctitatis. inter alios enituerunt. et fidem sancte et individue trinitatis inviolabiliter constantissima voce edocuerunt. Qua de re a propriis sedibus expulsi. peregrinationis causa ad transmarina convolaverunt. apostolicum sequentes exemplum. michi vivere christus est et mori lucrum. Florentii vero atque vindemialis. licet ortus eorum vita atque transitus apud alios floruissent. nobis tamen dominus tempore quo voluit. venerabilia corpora eorum revelavit. et pro huius urbis tuitione atque habitantium incolomitate. a longissimis terrarum partibus. pietas divina nobis eorum corpora mittere dignata est. Et sicut ab incolis terre illius didicimus. ubi corpora sanctorum requiescerent. cum omni timore atque tremore ad tumulos sanctorum accessimus. et cum omni reverentia sanctorum reliquias inde abstulimus navique perduximus. et intercessione beatorum confessorum christi. usque ad tarvisianum solum perduximus. ibique deo miserante. cum summa reverentia. cum digno honore sanctorum corpora collocavimus. Igitur beatissimus vindemialis africano solo ortus atque nutritus est. sed a beato confessore christi appiano episcopo edoctus et celesti conversatione. fide ac religione imbutus. presbiterii dignitatem adeptus est. In quo digne deo militans. ad episcopatus onus usque pervenit. ubi et in partibus affrice una cum evgenio multa per illos signa magnifica et innumerabilia omnipotens dominus operari dignatus est. Deinde vero tam peregrinationis causa quam et predicationis ob amorem christi nominis ad insulam corsicam pervenerunt. Ubi dum fidem christi ihesu populo predicarent. ut a vanissima cultura ydolorum recederent. ne ve arrianorum sevicie consentirent. celesti magisterio imbuti. divinitusque inspirati. omnem culturam ydolorum abnuerunt. seseque soli domino omnis ille conventus. perpetualiter servituros tradere. eiusque soli filio. spirituique sancto perpetue. videlicet trinitati. sine ulla ambiguitate ipso adiuvante deservire profitentur. Sanctus vero vindemialis ex prefatis partibus regrediens. maritimaque loca circuiens. procellosis fluctibus ulterius progrediens. usque ad castrum saunense pervenit. una cum evgenio sanctissimo. cum quo et multa miracula partibus affrice atque carthagine egit. Indeque venientes usque ad castrum vadense. in quibus partibus plurimam populi multitudinem sua predicatione domino ihesu christo acquisierunt. Inter quos quamplurimi erant. qui suorum fallacia sensuque vanissimo. relicto creatore omnium. in quodam specu bestiam execrabilem omnibus et satis odibilem adorarent. et obcecitatem sui cordis concepta dementia. ritu vanissimo et sceleratissimo eidem draconi cottidianas hostias. sacrificiaque offerrent. usu paganorum. Quod viri reverentissimi dum comperissent. illius antiqui serpentis qui primum hominem protoplastum seduxerat. ab initio semperque sua fallacia genus humanum in ydolorum culturam adtraxerat. ingemiscentes. dominique misericordiam implorantes. sicuti danielem liberare dignatus est de lacu leonum. ubi propter bel intromissus erat. qui etiam et draconem interfecit. ita ut hos quoque famulos suos. per virtutem domini nostri liberare dignaretur. ab huius spur